

## 2004 TSJCL SIGHT RECITATION

### Advanced Poetry

Post, ubi cōfectī cursūs et dōna perēgit:  
 “Nunc, sī cui virtūs animusque in pectore praesēns,  
 adsit et ēvīctīs attollat brachia palmīs.”  
 Sīc ait, et geminum pugnae prōpōnit honōrem,  
 victōrī vēlātum aurō vittisque iuvenicum,  
 ēnsem atque īnsignem galeam sōlācia victō.  
 Nec mora; continuō vastīs cum vīribus effert  
 ōra Darēs magnōque virum sē murmure tollit,  
 sōlus quī Paridem solitus contendere contrā,  
 īdemque ad tumulum quō maximus occubat Hector  
 victōrem Būtēn immānī corpore, quī sē  
 Bebryciā veniēns Amycī dē gente ferēbat,  
 perculit et fulvā moribundum extendit harēnā.  
 Tālis prīma Darēs caput altum in proelia tollit,  
 ostenditque umerōs lātōs alternaque iactat  
 brachia prōtendēns et verberat ictibus aurās.  
 Quaeritur huic alius; nec quisquam ex agmine tantō  
 audet adīre virum manibusque indūcere caestūs.  
 Ergō alacris cūctōsque putāns excēdere palmā  
 Aenēae steti ante pedēs, nec plūra morātus  
 tum laevā taurum cornū tenet atque ita fātur:  
 “Nāte deā, sī nēmō audet sē crēdere pugnae,  
 quae fīnis standī? Quō mē decet ūsque tenērī?  
 Dūcere dōna iubē.” Cūctī simul ōre fremēbant  
 Dardanidae reddīque virō prōmissa iubēbant.